sibi succedentium, quia de ratione entis successivi est, ut non habeat partes simul existentes, et si sit continuum fluens, non attingat esse nisi per indivisibilem limitem copulantem partes anteriores posterioribus. Ad cuius rei aliqualem intelligentiam imaginemur lineam aliquam successive efformari a nobis delineando eam supra tabulam. In hac continuata delineatione limes seu punctum lineae, ex qua parte linea protenditur, procedendo iungeret successive et continuatim partes delineatas lineae partibus delineandis (1).

Corollarium 1. Tempus continuum est praesens per suum *nunc*, quod non est tempus neque pars temporis quantumvis minima, sed est limes seu instans indivisibile temporis.

Corollarium 2. *Nunc* temporis continui, dum tempus continuatur, est *secundum se* idest ratione seu formalitate propria iugiter alterum atque alterum, sed *secundum subiectum*, de quo praedicatur, est idem. Hoc sensu dicitur esse idem *re* sed *ratione* diversum. Nempe, donec tempus perseverat in suo fluxu, eius nunc *mutatur formaliter, non materialiter* (2).

QUAESTIO VIII.

DE LOCO, UBI ET SITU.

CAPUT I.

Definitio Loci.

74. **Locus proprie dictus** definitur ab Aristotele (3): TERMINUS CONTINENTIS IMMOBILIS PRIMUS, nempe locus est talis superficies corporis continentis aliud corpus, quae sit *formaliter invariabilis* et *immediate attingat* superficiem corporis continentis, ita ut corpus continens et corpus contentum evadant contigua. Contigua enim sunt quorum extrema sunt simul (n. 30.).

75. **Definitio Aristotelica bona est et adaequata,** nam competit omni et soli definito.

Et sane 1° per hoc quod locus dicitur TERMINUS CONTINENTIS *a) distinguitur a substantia et reliquis accidentibus corporis continentis.* Etenim eo ipso quod locus est *terminus continentis* non est totum corpus ambiens corpus contentum, sed est ea superficies qua mediante continens contentum attingit, ex. gr. locus, in quo est turris, non est totus

(1) Cfr. S. Th. in IV. Phys. lect. 21. « Tempus dividitur secundum *nunc* sicut et linea « dividitur secundum *punctum* etc. »
(2) Cfr. S. Th. in IV. Phys. lect. 18.
(3) Physic. lib. 4. c. 5.

aër, sed est superficies aëris, qua aër turrim attingit fitque ei contiguus. *b) Distinguitur etiam a spatio.* Etenim eo ipso quod dicitur *terminus continentis* importat *formaliter ordinem* ad corpus contentum seu locatum; *continens* enim est vox *relativa*. Ergo nequit confundi cum *spatio* sive *imaginario* (quod est purum nihilum), sive *reali*, ad quod requiruntur et sufficiunt reales dimensiones per longum, latum et profundum. Quare si existeret unicum corpus physicum, existerent etiam reales dimensiones per longum, latum et profundum et ideo existeret etiam spatium reale, attamen nondum existeret locus proprie dictus; nam superficies huius corporis non esset superficies alicuius corporis *continentis*. Tandem *c) distinguitur a substantia spirituali*, quae quum non sit corpus, nequit esse dimensionata.

2° Addendo vocem IMMOBILIS definitio indicat superficiem corporis continentis non habere rationem loci secundum physicam et materialem suam entitatem, quae potest mutari, quemadmodum mutatur aër circa turrim et aqua fluens circa scopulum; sed habere rationem loci *secundum determinationem situs, ordinis atque distantiae respectu alicuius puncti immobilis*, puta ad polos vel ad centrum telluris, vel ad intersectionem meridiani alicuius cum linea aequatoriali. Unde locus proprie et stricte dictus distinguitur a vase, quod moveri potest simul cum corpore contento; et ideo ait Aristoteles, *quod vas dici posset locus mobilis*, et *locus vas immobile*.

Recte additur vox PRIMUS. Etenim ea superficies est *proprius* locus alicuius corporis, quae *immediate* ambit illud. Quod si plura corpora distincta ambiantur aliqua communi superficie continente, ut essent ex. gr. plures homines in eadem aula, haec respectu singulorum rationem haberet *loci communis*, respectu autem totius collectionis rationem haberet *loci proprii* (1).

CAPUT II.

De varia ratione essendi in loco.

76. **Esse in loco per se seu circumscriptive.** Est in loco *per se* seu *circumscriptive* id quod per suas dimensiones exteriores commensuratur loco. Quum autem tantum corpora sint dimensionata, haec tantum possunt esse in loco *per se* seu *circumscriptive*.

77. **Esse in loco per accidens, et hoc sive formaliter, sive definitive, sive eminenter.** Est in loco *per accidens* id, quod licet careat dimensionibus, tamen invenitur in aliquo corpore, quod *per se* est in loco estque totum in toto et totum in qualibet parte eius. Hoc autem contingere potest tripliciter, nempe 1° vel ut sit in eo tamquam forma

(1) Cfr. S. Th. in IV. Physic. lect. 5.

corporis, 2° vel tamquam motor corporis non excedens eius limites, 3° vel tamquam motor corporis excedens eius et caeterorum corporum sive existentium sive possibilium limites. Quod est in loco per accidens primo modo dicitur esse in loco FORMALITER atque ita est anima in corpore; quod est in loco per accidens secundo modo dicitur esse in loco DEFINITIVE, atque ita esset ex. gr. aliquis angelus in aliquo monte, quem moveret; quod est in loco per accidens tertio modo dicitur esse in loco EMINENTER, qua ratione Deus dicitur esse in loco. Per hoc enim, quod Deus dando et conservando esse omnibus locatis et locis, est virtute et essentia sua eis intime praesens; intelligitur esse in quolibet loco, nec tamen ab aliquo *circumscribitur* ita ut non sit totus in toto et totus in qualibet loci parte, neque ab aliquo *definitur* ita ut sit tantum in eo loco, sed ita est intime praesens omnibus locis et locatis, ut possit esse praesens infinitis aliis, si existerent, videlicet *est in loco eminenter*.

Nota. Ad aequivocationes vitandas nota bene vocem *per accidens* hic accipi prouti opponitur voci *circumscriptive*, et vocem *per se* accipi prouti opponitur huic acceptioni vocis *per accidens*. Si enim aliquis acciperet vocem *per accidens* prouti opponitur voci *essentialiter*, tunc forma substantialis dici deberet esse *per se* in loco; Deus autem dici deberet esse *per se* in omnibus locis existentibus, quamvis in eis neque *circumscriptive* sit neque *formaliter*, sed *eminenter*.

CAPUT III.

De Praedicamentis Ubi et Situs deque eorum distinctione a corpore locato.

78. **Ubi** definitur *Corporis esse in loco*, vel « *Circumscriptio corporis ex circumscriptione loci proveniens* » (1). Quae definitio bona est. Nam quando quaerimus ubi aliquod corpus sit, scire volumus in quo loco sit. Ad id autem non sufficit dicere: corpus est extensum seu habet suas dimensiones; per has enim corpus habet utique aptitudinem ut circumscriptive sit in loco, sed nondum dici poterit esse in loco. Occupatio actualis loci seu *esse in loco* importat aliud elementum nempe corpus ambiens commensurans suis dimensionibus superficialibus dimensiones superficiales corporis contenti. Tunc igitur poterit de aliquo corpore praedicari *aliquod ubi* seu dici *quod sit in aliquo loco*, quando eius dimensiones commensurabuntur dimensionibus alicuius corporis ambientis. Quapropter *Ubi praedicamentale consistit in commensuratione quadam inter corpus locatum, et superficiem corporis ambientis* (cfr. Log. n. 203.).

(1) Gilbertus Porretanus in Op. Sex. Princip. Cap. Ubi.

Corollaria. α) *Ubi est accidens reale corporis locati.* Nam formalis eius effectus, qui est *esse in aliquo loco* verificatur de corpore locato et inducit mutationem aliquam in ordine rerum independenter a consideratione nostrae mentis: porro omnis mutatio in ordine rerum independenter a mente est realis et in eo est de quo verificatur. Ergo *ubi* est accidens reale corporis locati.

β) *Est accidens realiter distinctum non solum a substantia corporis locati, sed etiam a quantitate et a qualitatibus inhaerentibus eiusdem.* Nam hisce omnibus permanentibus, si corpus mutat locum, mutat *ubi*.

γ) *Causa efficiens adaequata* huius accidentis quod vocatur *ubi*, est id quod continenti et contento quantitatem tribuit et contentum in continente ponit.

δ) LOCUS *se habet ad* UBI *ad modum termini extrinseci;* nam corpus est in loco per hoc quod eius dimensiones exteriores commensurantur dimensionibus exterioribus corporis ambientis.

ε) *Attamen* UBI *non est mera relatio.* Nam relatio importat solum *esse ad*. UBI autem importat in locato *esse in*, videlicet *esse in loco;* quod est actualitas quaedam absoluta corporis locati. Praeterea *esse in loco* supponitur ut fundamentum relationum resultantium inter locatum et locum, porro fundamentum relationis non est relatio.

ζ) LOCUS *non constituit novum praedicamentum*, sed quatenus praedicatur de locante idest de corpore ambiente pertinet ad genus quantitatis; quatenus autem praedicatur denominative de corpore locato, concurrit ad statuendum praedicamentum UBI (1), ideo non dicimus librum esse locum sed esse *locatum* ex. gr. in medio bibliothecae. Quatenus igitur liber et quodcumque aliud corpus suas dimensiones circumscriptas habet dimensionibus corporis ambientis, est sub praedicamento *ubi*. Quo in casu praedicamentum desumitur ab eo, quod est extra subiectum per modum mensurae stabilis, nempe ex loco.

η) SITUS est praedicamentum quod desumitur ex dispositione partium in loco et ideo distinguitur a praedicamento UBI, quod ab hac dispositione praescindit. Ex. gr. si in eodem loco vertatur liber ita ut eius pars superior incipiat tenere inferiorem locum, aut viceversa, liber non mutat suum *ubi* sed mutat suum *situm*.

(1) Cfr. S. Th. in XI. Metaph. lect. 9.

CAPUT IV.

De variis modis essendi ubique, deque distinguendo loco proprie dicto a loco metaphorice dicto.

79. **Esse ubique** est esse in omni loco. *a) Ubique primario* est id quod secundum se totum est in omni loco, ita ut sit totum in toto et totum in qualibet parte eius. *b) Ubique secundario* est id quod ita est in omni loco, ut secundum diversas sui partes eum occupet. *c) Ubique per se* est id cui in quacumque hypothesi competit esse ubique. *d) Ubique per accidens* est id cui competit esse ubique solum in aliqua hypothesi. Ex. gr. in hypothesi quod Deus creavisset tantum unum corpus et quod hoc corpus esset humanum, anima informans tale corpus esset *ubique primo* et *per accidens*, Deus autem esset, sicut est etiam nunc, *ubique primo et per se*.

Ad vitandas aequivocationes sophistarum distingue α) *locum proprie dictum a loco metaphorice dicto*. Primus est quem hucusque descripsimus et de quo agimus in praesenti quaestione. Secundus est quidquid quocumque modo continet aliud, etsi continens sit substantia spiritualis, quae continere potest aliquid virtute sua non dimensionibus. Sic quaerenti an in hypothesi, qua Deus creaverit angelos ante mundum corporeum, vel etiam nunc in hypothesi quod aliqui angeli non sint definitive in ullo corpore; possint ne angeli dici esse nuspiam? Respondebis, si *nuspiam* referatur ad locum proprie dictum, dici deberent nuspiam fuisse vel esse: si referatur ad locum metaphorice dictum, dici deberent angeli fuisse et esse in Deo. Insuper β) accipiendo *esse in seipso negative*, nempe quatenus aliquid non sit in alio ut in continente sive proprio sive metaphorico, Deus dici debet *esse in seipso*. Praeterea γ) si *esse in loco proprie* aliquis intelligeret exclusive *esse in loco circumscriptive*, substantia spiritualis praesens intime corpori locato dici deberet esse in loco *metaphorice:* sed iste modus loquendi vitandus est, nam talis substantia esset in loco *proprie* sed *definitive*, si esset substantia spiritualis finita, *eminenter* si infinita, nempe Deus (cfr. n. 77). δ) *Distingue indivisibile in genere quantitatis continuae ab indivisibili extra genus quantitatis*. Primum est in situ determinato, quum sit in genere quantitatis, non secundum (1). *Distingue locum in actu et locum in potentia, spatium in actu et spatium in potentia*.

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 8. a. 2. ad 2.

QUAESTIUNCULAE

DE VARIA HABITUDINE CORPORUM AD LOCA ET SPATIA SECUNDUM DIVERSAS HYPOTHESES.

80. **Quaeres 1.** utrum universus corporeus nunc existens dici possit esse *ubique?*

Resp. Dici potest esse *ubique secundario* et *per accidens*, quia non est secundum se totum, sed secundum suas partes in omni loco existente; ita tamen, ut, si alia corpora crearentur, cessaret esse ubique. (cf. n. 79).

Quaeres 2. utrum universus corporeus dici possit esse localiter in seipso?

Resp. Dici potest *negative*, idest quatenus non est in alio corpore. Dici autem nequit esse localiter in seipso *affirmative primario*, idest secundum se totum; quia simul esset continens et contentus secundum idem, quod repugnat. Attamen *affirmative secundario* dici potest esse localiter in seipso, idest *ratione suarum partium*, quarum una continetur in alia. Sic enim non est secundum idem continens et contentus, sed secundum diversa (cf. n. 79.).

Quaeres 3. Utrum universus corporeus dici queat occupare spatium reale?

Resp. Non potest hoc dici, sed dicere oportet eum *constituere spatium reale*. Hoc autem spatium finitum est, nam dimensiones actuales universi corporei constituunt ipsum spatium reale. Dimensiones autem actuales nequeunt esse infinitae, quia magnitudo actu infinita repugnat (1).

Quaeres 4. Si existeret tantum unicum corpus, ex. gr. sphaera aurea quod accepisset impulsum ad motum localem, possetne dici mutare successive loca mensurabilia?

Resp. Dici posse secundum suas partes mutare loca mensurabilia, quia in suo motu processivo partes posteriores eius iugiter transirent in locum anteriorem, quem eius partes anteriores designaverant. Unde per huiusmodi motum successive signaretur distantia quaedam mensurabilis. Loca autem illa essent potentialia, quia in corpore continuo partes non sunt actu divisae sed potentiâ tantum.

Quaeres 5. Si darentur duo corpora neque contigua, neque medio corpore contiguo coniuncta, sed prorsus separata, possetne designari locus aliquis relate ad ea?

Resp. posse. Nam datis duobus corporibus, designari possunt duo puncta realia, inter quae designari valeat linea, quae secundum longitudinem finiretur iis punctis. Quo in casu daretur aliqua distantia designabilis et aliquis designabilis locus. Qui plura cuperet, conferre potest S. Thomam in IV. Physic.

---

(1) Cfr. S. Th. 1. p. q. 7. a 3.

Quaeres 6. Utrum simultanea multilocatio eiusdem corporis repugnet ita ut ne quidem ex virtute Divina obtineri possit?

Resp. eam repugnare si corpus multilocatum debeat propriis dimensionibus simul commensurari dimensionibus plurium locorum; quia in hac hypothesi esset eadem dimensio simul secundum idem una et multiplex. Si autem ex virtute divina suspenso effectu tantum extrinseco quantitatis corpus remanendo in seipso extensum non commensuretur pluribus simul locis dimensionibus propriis sed alienis, respondemus non repugnare. Immo ita explicat S. Thomas (3. p. q. 76. a. 5. et ll. pp.) multipraesentiam localem Corporis D. N. Iesu Christi in Sacramento Eucharistiae, in quo Corpus Domini non commensuratur variis locis per proprias dimensiones, sed per dimensiones panis et vini, quae peracta transubstantiatione remanent in hoc admirabili Sacramento. Quapropter Corpus Christi in hoc Sacramento non dicitur esse circumscriptive, neque definitive, neque formaliter, sed *sacramentaliter*.

TRACTATUS TERTIUS

DE NATURA EIUSQUE FINALITATE ET ACTIVITATE.

QUAESTIO IX.

DE NATURA EIUSQUE DISCRIMINE AB ARTE, VIOLENTIA, FORTUNA ET CASU.

CAPUT I.

Variae acceptiones vocis Natura.

81. **Natura** 1° *latissime* accepta sumitur pro *quidditate* seu *essentia* rei: quo sensu praedicatur analogice de omnibus entibus corporeis, incorporeis, et de ipso Deo. 2° *Minus late* sumitur pro *essentia quatenus* haec est *principium quo remotum* operationis, sive haec operatio fiat per transitum de potentia in actum, ut contingit in omnium creaturarum operationibus, quae idcirco praeter essentiam requirunt potentias operativas tamquam *principia quibus proxima* operationum; sive nullo modo fiat per transitum de potentia in actum, sed sit pura perfectio subsistens, prorsus identificata cum ipso esse per se subsistente, nempe cum Deo, in quo *principium quod* operationis nempe *suppositum, principium quo remotum* operationis nempe essentia, et *principium quo proximum* operationis nempe potentia operativa sunt prorsus unum et idem, nempe ipsum esse per se subsistens. Quocirca etiam hoc sensu natura potest praedicari analogice de Deo et creaturis. 3° *Stricto sensu* natura sumitur *pro principio intrinseco quo substantiali* motus et quietis in corporibus. 4° *Tropice* sumitur aliquando pro ipsa rerum creatarum universitate, et dicebatur a veteribus *natura naturata*, aliquando sumitur pro ipso Auctore naturae creatae nempe Deo, et dicebatur a veteribus *natura naturans*. 5° Vocatur etiam *natura* quaelibet naturalis causa, quatenus agit secundum insitam propensionem. 6° Dicitur *natura* ipsum temperamentum ac propria dispositio uniuscuiusque, ut cum aliquis dicitur bonam vel malam naturam sortitus. 7° Dicitur *natura* seu *nativitas* ipsa generatio viventium: atque